

Reges non se
intermittant
in rebus Ec-
clesiasticis.

quo divina sunt, imperiale ius habere. Nolite extol-
lere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus:
scriptum est; qua Dei, Deo: qua Caesaris, Caesaris.
Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdo-
tem Ecclesia: tibi memorum ius concessum est, non
sacrorum.

63. Origenes.

Secundò. Origenes homil. 21. in Matth. Deo,
ait, reddenda sunt qua virtutis sunt, Caesari, qua
politicæ, & census. Tertio. D. August. lib. 2. contra
Epistol. Parmen. cap. 7. Deo, inquit, reddendus est
Christianus amor, Regibus humanus timor. Quarto.
S. Theophylus Patriarcha Alexandr. Tempore
persecutionis reddendum Caesari precipit corpus, in-
quod solummodo potestatem habet. Deo autem dicit
reddi constantiam spiritus, & animæ.

64. Hilarius.

Quintò. D. Hilarius: Deo, ait, etiam ea, que
Dei sunt, reddere nos oportet, id est, corpus, & ani-
mam, & voluntatem. Numisma autem Caesaris in-
auro est, in quo est eius imago depicta, Dei autem
numisma homo est, in quo est Dei imago figurata;
ideo diuitias vestras date Caesari, Deo autem inno-
centiæ vestre conscientiam seruate. Tertullian. lib.
de Idololatria cap. 15. Reddite, ait, imaginem
Caesaris Caesari, que in nummo est, & imaginem
Dei Deo, que est in homine. Quod etiam docet

Tertullian.

Bernard.

D. Bernard. lib. de Passione Domini cap. 3. Ter-
reno regi dandum est aurum, & argentum, in
quo est eius imago exarata, Deo verò dandus est
totus homo, qui ad imaginem, & similitudinem
Dei factus est. Ex quo colligit D. Ambros. Epist. 1.
Quod tres illi pueri Ananias, Azarias, Misacel
non debebant soluere tributum imagini regis,
quia eam apud se non habebant, nec de men-
sa regis, ac eius moribus erant polluti; solum-
que Deo debebant, cuius imaginem operibus, &
actionibus referebant, cui toto corde, & animo
seruiebant. Sic ait S. Ambrosius: Qui non ado-
rauerunt imaginem regis, qui non receperunt eam,
qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tene-
bantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum, qua
sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imi-
tatores non soluant tributum, quibus portio Deus
est.

Daniel. 3.

Ambros.

QUESTIO XI.

Quare Christus Dominus tam aperte illis
dicit veritatem, & quod Deo
reddenda, qua Dei sunt?

65.

VALDE aperte Christus his Pharisæis, ac
Herodianis dicit veritatem. Reddite Cæ-
sari, qua Cæsari sunt, Deo, qua Dei, vt nihil è
donis Dei sit defraudandum, vt Cæsari exhibea-
tur, cur tam aperte veritatem loquitur, & pro-
testatur? Christus Dominus omninò independens
ab omni humano respectu, non respiciebat
personam alicuius. Et ita ipsi dixerunt: Non est
tibi cura de aliquo. De sanctis Virginibus ait Ioan.
in sua Apocalyp. 14. n. 4. Virgines enim sunt. Hi
empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, &
in ore eorum non est inuentum mendacium. Quod in
ore eorum non sit inuentum mendacium magna
laus, tamen videbatur potius, quod de Doctori-
bus, ac Magistris esset decantanda, quam de Vir-
ginibus publicanda. Cur ergo de his hæc dicitur?
De Virginibus ait D. Paulus 1. Corinth. 7. n. 32.
Qui sine uxore est, sollicitus est qua Domini sunt.

A poc. 14.

Col. 7.

Qui enim absque interuentu alicuius dependen-
tiæ ab homine Deo in omnibus attendit, ipsūm-
que respicit, hic verum absque mendacij vmbra
dicit, & loquitur.

Solum inde-
pendens ab ho-
minibus ve-
ritatē dicit.

Secundò. Maximè persuadet Christus, vt qua
Dei, Deo danda sint, pro quo eleganter ait Ori-
genes citatus in Caten. ad cap. 20. D. Luc. Postu-
lat autem à nobis Deus, non quia necessarium habet,
vt ei aliquid tribuamus: sed vt postquam ei dederi-
mus, hoc ipsum nobis tribuat. Deus petit, vt ali-
qua nostra ei offeramus, & demus, non quia
nostris indigeat, sed vt vberiore suam largita-
tem ostendat, dum nostra exigua, valde amplif-
simè rependit, ac remunerat. Pulchrè Hildebert.
Epistol. 15. Munera Dei, ait, damno sunt possesso-
ribus otiosis, quibus nolle negotiari ad lucrum, pro-
be negotiatur ad supplicium. Magnus fenerator est
Deus noster, importunè vsurus exigit ipse creditor
noster. O beatum commercium, in quo nec vsurus
exigens criminis arguitur, nec soluens in aliquo
grauatur: o felicem negotiationem, in qua creditor
est opportune importunus, & debitori plusquam de-
bet, debetur. Magnus fenerator est Deus noster,
non ex avaritia, sed ex liberalitate, plus ipse vult
debere, quam ipsi debetur, & exigua, qua ei
præstat, & debet homo magnificentiissimè omni-
bus bonis gloriæ remunerat; Debitori plus debet,
quam debetur. Vide supra cap. 20. n. 49. & cap. 23.
num. 7. 8. & 9.

Origenes

Hildebert.



CAP. XLVI.

Charitatis mandatum.

Matth. 22. Pharisæi autem audientes,
num. 34. quod silentium impo-
sisset Sadducæis, con-
uenerunt in vnum.

Num. 35. Et interrogauit eum vnus
ex eis legis Doctor ten-
tans eum.

Num. 36. Magister, quod est man-
datum magnum in lege?

VERSIONES.

Vat. Abl. Pagn. Pharisæi autem cum audis-
sent, quod obturasset os
num. 34. Sadducæis conuenerunt
simul.

D. Chrysof. Quia ora Sadducæorum
homil. 72. obstruxerit, congregati
sunt in vnum.

D. Hilarius. Congregati sunt aduersus
eum.

Syriac. n. 35. Et interrogauit eum vnus
ex ipsis peritus Legis,
cum tentaret eum.

D. Chrysof. Vnus ex ipsis iurisperi-
tus.

Lucas Burg. Vnus legalis Doctor.

Tertullianus

Tertull. lib. de Surrexit legis Doctor ten-
tans eum. carne Christi. cap. 7.

Syriacus 36. Doctor, quodnam est præ-
ceptum maximum in
lege?

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 28. Et accessit vnus de Scribis,
qui audierat illos con-
quirentes: & videns
quoniam bene illis res-
ponderit, interrogauit
eum, quod esset pri-
mum omnium manda-
tum.

EXPOSITIO I.

1.

PHARISÆI autem videntes. Ex
aliorum relatu, ac communi fama,
qua Christi gloriam publicabat.
Quod silentium imposuisset Sadducæis.
Sadducæis resurrectionem negan-
tibus, in sua quaestione propolita, silentium im-
posuit Dominus, efficaciter ex scriptura futuram
resurrectionem demonstrans; ita vt ipsi amplius
non auderent replicare. Tunc Pharisæi, qui aliàs
maximè contrarij erant Sadducæis, nam Pharisæi
resurrectionem fatebantur: tamen modo Phari-
sæi, & Sadducæi sunt amici, & conueniunt aduer-
sus Christum, vt notant D. Chrysofomus ho-
mil. 72. D. Paschal. lib. 10. in Matth. sicut Pilatus,
& Herodes in nocte Passionis. Nam Pharisæi sæpe
fuerunt deuicti Christi doctrina, at modo
sunt conuicti; & qui tales sunt contra victorem
congregabantur; & debebant Pharisæi inuidia
agitari, quod hoc facto Christi fama, ac sapientia
maximè claresceret. Conuenerunt in vnum, vt ex-
plicat D. Thomas in fraudulentis, & nequitis.

Chrysof.
Paschal.

D. Thom.

2.

Syriacus.

Chrysof.

D. Thom.

Interrogauit vnus ex eis legis doctor. D. Marcus
ait de Scribis, Syriac. peritus legis. D. Chrysofom.
Iuris peritus. Hæc eadem sunt. Interrogauit vnus.
Vt inquit D. Chrysofomus, D. Thom. eligitur
vnus Doctor, vt si ille vinceretur, alij non confunde-
rentur, & si iste vinceret, omnes in eo gloriarentur.
In gloria, ac honore volebant Pharisæi esse par-
ticipes, in ignominia verò expertes. In concilio
Pharisæorum, & Sadducæorum hic doctor se ob-
tulit ad proponendam Christo quaestionem diffi-
cilem, cui nullus poterat satisfacere, nisi esset ma-
ximè versatus in scriptura.

3.

Tentans eum. Hic Doctor laudatur à Christo
Domino apud Marcum; Non longè es à regno Dei.
Ideo D. Chrysofomus homil. 72. in Matth. Euthy-
mius, Theophylact. inquit, quod hic legis
Doctor principio accesserit tentans, Domini ta-
men responso emendatior factus, laudatus est;
quam solutionem etiam adhibet D. Augustinus
lib. de consens. Euang. cap. 73. & aliam etiam ra-
tionem proponit valde conuenientem, quod sci-
licet hic Doctor coram Pharisæis ostendisset se
habere quaestionem in re ardua ad Christum ca-
piendum in sermone, tamen reuera animo solum
volebat experiri, ac agnoscere Christi sententiam
in re ardua, de qua ipse maximè dubius erat, &
ideo eum Christus ei dixisset mandatum maxi-

Chrysof.

Euthym.

Theophyl.

August.

mum esse Dei dilectionem, respondit ad Domi-
num. Bene Magister in veritate dixisti. Quo au-
dito. Iesus videns, quod sapienter respondisset, di-
xit illi: Non es longè à regno Dei. Marc. 12. n. 34.
id est à fide, gratia, qua fideles ducit ad regnum
cæleste. Ita Maldonat. Iansen. Barrad. Luc. Burg.
Cornelius.

Marci 12.
Maldon.
Barrad.
Bargen.
Corneli.

Magister. Magistrum vocat, cuius discipu-
lus fieri volebat. Quod est mandatum magnum?
Hoc est maximum, nam Hebræi superlatiuo ca-
rent; ac proinde denotabatur mandatum, quod
Deus præ cæteris omnium maximè exigebat.
Hanc quaestionem proposuit Doctor, inquit
Chrysofomus, Euthymius, quia opinabantur
Pharisæi, quod supra mandatū diligendi Deum,
aliquid de suo adderet, quia ipse se Deum dice-
bat, ac faciebat. Aptissimè Beda in c. 12. Marci,
ait, Chisti tempore apud Indæos maxime contro-
uersam fuisse hanc quaestionē Multi enim astrue-
bant primum mandatum legis esse de victimis, ac
sacrificiis Deo offerendis. Leuit. 1. His enim vt
supremus omnium Dominus colitur, & venera-
tur; ex quo Pharisæi filios debebant, vt suis pa-
rentibus egentibus dicerent Corbam. Id est mu-
nus, quo te alere debeo, Deo voui; illi reddam, &
non tibi. Matth. 15. n. 6. Alij affirmabant esse Dei
dilectionem; de quo infra.

4.

Chrysof.
Euthym.

Beda.

Leuit. 1.

Matth. 15.

QUESTIO I.

Quomodo fuit Sadducæis silentium
impositum?

REMO iam dixi in expositione, quod Iesus
silentium imposuerit Sadducæis, ita efficaci-
ter eis sua ratione resurrectionem demonstrans,
vt ipsi nihil haberent quid dicerent, ac respon-
dere possent; quamuis ipsi Sadducæi adhuc in
suo errore immobiles permanserint; vt patet
Actorum 23. num. 8. & notat hic Abulens. q. 250.
Nam ibi magna dissensio narratur inter Saddu-
cæos, & Pharisæos circa resurrectionem. Ita
Sadducæi suo errori erant addicti, quod quam-
uis Christi argumenta non potuerint dissoluere,
à suo tamen errore non sunt soluti: sunt enim
homines apud quos potentior est affectus vol-
untatis, quam efficacia rationis, licet enim ra-
tione conuincantur, vt Sadducæi, qui nihil ha-
beant ad respondendum, tamen in suo errore te-
naciter firmiores persistunt.

5.

Act. 23.
Abulens.

Potentior aff-
fectus volun-
tatis, quam
rationis effi-
cacia.

Secundò. Origenes tract. 23. in Matth. Sicut
enim, ait, proprium iusti est tacere, cum sit tempus
tacendi, & loqui, cum sit tempus loquendi, non tamen
obmutescere: sic proprium est omnium; qui menda-
cij sunt Doctores, obmutescere quidem quantum ad
rem, non tamen tacere. Silentium imposuit Iesus
Sadducæis ostendens quod omnem mendacij vo-
tem obmutescere facit vna clara veritatis vox.
Notandum obiter quod Origenes citato loco ponit
discrimen inter tacere, & obmutescere. Non
homini; sed mari, ac diabolo dicitur obmutescere.
Marc. 4. num. 39. & Luc. 4. num. 35. Ab his enim
omnis facultas loquendi adimitur; At verò ho-
mini datur silentium, & taciturnitas, quia homo
debet tacendi, & loquendi vices alternare, tacere
in malo, loqui in bono; ex quo ait D. Ambros.
lib. 1. Offici. cap. 3. Quid igitur, ait, mutos non
est.

6.

Origenes

Veritas men-
dacij vocem
facit obmut-
tescere.

Marc. 4.
Luc. 4.

Ambros.

esse oportet? Minime. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Denique si pro otioso verbo reddemus rationem: videamus, ne reddamus & pro otioso silentio.

7. Tertio. Impositum fuit silentium Sadducæis, quia valde ægre rulerunt, ac maximè doluerunt, cum se victos viderunt, nihil habentes, quid responderent; dolo vehementer frequenter vocem interceptit, & non finit loqui. Ait Isaias 6. n. 5. *Veni mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Græcus habet. *Quia compunctus doli.* Ac si idem esset quod compunctus dolore taceret. Ait idem Isaias 15. n. 2. *Quia vastatus est murus Moab contuit.* Hugone teste; *pro dolore non ausa loqui.* Hoc est filij Moab cum maximè dolerent ob vastatum murum, non potuerunt loqui.

9. Quis dubitat, quod ingens dolo vocem interceptit? Cum meus Iesus penderet in ligno, stabant aspectantes Mater, & Ioannes magna lachrymarum copia madentes. Tunc Iesus eos aspiciens. *Cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Ioan. 19. n. 26. Cur SS. Mater saltem vnum verbum non profert quærens tantam sortem sibi mutata: & Ioannes cur pro tam illustrissima sorte sibi data non gratias agit magistro? Cur utraque alto silentio tacent? Tam vehementi dolore Mater, ac Discipulus vulnerati erant, vt nec verbum quidem emitterent, ac dicerent. D. Bernard. ad tract. de lament. Virgin. *Audiebant, ait, & tacebant: quia pro angustia loqui non poterant.*

QVÆSTIO II.

Quare Pharisei, & Sadducæi conueniunt in vnum aduersus Christum?

9. CHRISTVS Dominus in doctrina data contra Sadducæos maximè Phariseis fauerat, ac honorauerat, nam inter Phariseos, & Sadducæos erat controuersia de resurrectione, ergo cum Christus tam apertè confudisset Sadducæos maximè exaltauit partes Phariseorum, resurrectionem affirmantes, pro quo multas ei gratias ferre debebant.

10. Primò respondet D. Hieron. *Pharisei, & Sadducæi inter se contrarij sunt, sed ad tentandum Iesum pari mente consentiunt.* Pharisei in superioribus quæstionibus de tributo Cæsaris, & alijs se viderant superatos, Sadducæi in proposita quæstione se viderant deuictos, ita vt nihil haberent, quod dicerent, ac responderent; & ex tanta omnium victoria Christum opinabantur valde gloriosum, & sublimatum, & inde noua argumenta parant, vt eum valeant deprimere, ac tanquam Scripturæ ignorantem arguerent; nam, vt ait Chrysofom. in Imperfecto homil. 42. *Malitia frequenter quidem vincitur, nunquam autem placatur.*

11. Secundò. Pharisei, ac Sadducæi, in suis præpositis quæstionibus sæpe deuicti sunt à Christo Domino, vt modo dixi, ergo quamuis ipsi alijs essent inter se contrarij, tamen contra Christum concordant, ac vniuntur, frequenter deuicti contra victorem colligantur, ac armantur, vt aduersus eum pugnent, & decerent. Videt Ioan. in

Apocalypsi 17. n. 14. Decem regem armatos. *Hic cum Agno pugnant, & Agnus vincet illos.* Congregantur in vnum decem reges terræ, an vt pacem Christi seruis ferant? an vt ipsum Christum adorent? sed vt bellum faciant; Cur potentes terræ sic in vnum congregantur? cum ipsa potestas desidiij, ac discordiæ causa sit, *Agnes vincet eos, cum se existimarent ab Agno esse vincendos, omnes aduersus Agnum in pugnam inferendam colligantur, ac vniuntur.*

Tertio citatus Chrysof. Pharisei, & Sadducæi conueniunt in vnum, vt scilicet multitudine vincerent, quem ratione superare non poterat. Maligni aduersus populum Dei se adhortantur. *Cogitauerunt aduersus sanctos tuos, & dixerunt: venite disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël ultra.* Psalm. 82. num. 4. Ad quidnam conuocantur? *Aduersus sanctos tuos & aduersus populum Dei, qui sunt conuocati. Tabernaculum Idumæorum, & Ismaëlitarum, Moab, Agareni, Iebal, & Ammon, & Amalech alienigenæ, cum habitantibus Tyrum, etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filiis Lot.* Ecce innumerabiles mali decem nationum congregantur aduersus sanctos, cum enim agnoscerent mali seiplos à Sanctis Dei virtute, ac fortitudine superari, cogitant multitudine, & colligatione tantarum nationum, an eos superare, ac deuincere valeant. Vide supra cap. 17. num. 49. & 50.

Quartò. D. Chrysofomus homil. 42. in Imperfecto, scilicet quod Pharisei, ac Sadducæi. *Dicebant apud se, vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquantur per vnum.* Contrarij erant inter se Pharisei, ac Sadducæi, ita tamen in hoc negotio vniuntur, vt vnum corpus, vnam mentem, vnam voluntatem, ac vnum os habeant. Veniens Ioseph ad fratres suos. *Qui cum vidissent eum, procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.* Genes. 37. num. 18. Variæ, & diuersæ sunt hominum cogitationes, & viso vno obiecto, quilibet valde diuersimodè opinatur, & cogitat, quomodo ergo viso Ioseph omnibus fratribus eadem subitè cogitatio? Cur non in varijs cogitationes distrahitur? Cum essent iniqui & peruersi non solum conueniunt in opere proiciendi eum in cisternam, ac vendendi Ismaëlitis, sed etiam in mente, ac affectu ipsum occidendi, quo cogitauerunt illum occidere.

Videt Ioannes in sua Apocalypsi 16. num. 14. *Spiritus Demoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Mittuntur spiritus ad reges vniuersæ terræ, & quomodo fieri potest vt in vnum congregentur ad prælium, nam regalis potestas dissidiij causa, & reges nolunt se ad inuicem subiici; deinde quomodo reges Orientis possunt se congregare in vnum locum cum regibus Occidentis, vel è contra? Cum sint iniqui, reges vniuersæ terræ congregabuntur, non loco, sed animo & voluntate, quamuis enim sint maximè loco distantes, in eis tamen erit vna voluntas, vnus animus aduersus electos Dei: Haymon. *Nunquid in vnum venturi sunt, vt qui sunt in Occidente, transiant in Orientem, aut rursus ab Oriente in Occidentem? Non; sed in vnum consensum, & in vnam malam voluntatem congregabuntur, propter unitatem, quippe de malitia eorum hoc dicitur, quia quod vnus facit, hoc, & reliqui.* Vide tom. 2. c. 49. 2. n. 11. 12. 13. & tom. 3. c. 26. q. 11. n. 65. 66. & multis alijs in locis.

Apoc. 17.

12. Chrysof. Mali multitudine superare volunt.

Psalm. 82.

13. Chrysof. Impij opere, ac mente contra iustos vniuntur.

Gen. 37.

14. Apoc. 16.

Impij est loco distans, mente vniuntur ad malum.

Haymon.

Qvæ

QVÆSTIO III.

Quare imposito silentio Sadducæis Pharisei Christum volunt tentare?

15. Chrysof.

PRIMÒ D. Chrysofomus homil. 42. *Debuissent quidem, ait, Pharisei timere Sadducæorum exemplum, vt non similiter interrogantes confundantur, sed ardens malitia dum sanciare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat.* Valde fatua est malitia, quæ in alieno capite experimentum non sumit, vt sibi noxia valeat deuicare. Viderant Pharisei Sadducæorum exemplum, qui cum Christum interrogarent, ab ipso deuicti, ac superati obmutescere recesserunt, cur adhuc audent interrogare, & similem euentum sibi non timent? *Ardens malitia dum sanciare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat.* Tanto affectu malitia intendit alterius nocumentum, vt de suo damno non cogitet, sed illius obliuiscatur.

16.

Malitia nunquam quiescit.

Secundò. Quod Christus Dominus silentium imposuisset Sadducæis resurrectionem negantibus, maximè Phariseis illam affirmantibus cedebat in honorem, & auctoritatem, & tamen contra Christum armantur, ipsi quoque volunt capere in sermone, dolebant enim maximè de laude, quam Christus ex damnatione hæresis Sadducæorum reportauerat, & ideo aduersus eum odio, & inuidia feruientes infidias moluntur; acrius enim pungebantur gloria, quæ Christo obuenierat ob Sadducæos deuictos, quam ipsi gaudebant de suo honore, suæque doctrinæ decore, quam tam efficaciter corroboratam, ac stabilitam videbant. Vide in Indice verb. *Inuidia.*

17.

Inuidus magis dolet de alterius gloria, quæ gaudet de suo bono.

Tertio. In quæstione proposita silentium impositum fuerat Sadducæis, & tamen exinde Pharisei conueniunt ad Christum interrogandum, nulla sane detestabilior ignorantia, quam ex his, ex quibus homo debebat fieri cautus, ansam arripere, vt fiat impudicus, & audeat; obturatum Sadducæorum os exemplum erat Phariseis, ne amplius quæstiones Christo proponerent, & tamen ex hoc ad illas ventitandas se stimulant, & ingens, & fatua ignorantia!

18.

Fit homo impudicus, ex quo debebat esse cautus.

Cum populus Israel castrametatus esset castramentibus Moab, cumque audisset Rex Balaac mirabilia, quæ Deus pro suo populo fecerat in Agypto, ac alijs regnis per desertum, vt populum erga ipsum posset deuincere, hoc excogitauit consilium, vocauit Prophetam Balaam multa pecunia data ad populo maledicendum, apud se firmiter statuens, quod si populus execratus fuisset à Prophetâ, ab eo vinceretur. Balaam auaritia stimularus accessit, de eoque ait Scriptura: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est.* Num. 24. num. 3. Quæ verba vt notat Rupertus lib. 2. in Num. cap. 21. *Contraria, vel repugnantia sibi videntur.* Nam si obturatus erat oculus, ac cæcus effectus, quomodo valuit videre visiones Dei? Rupertus citatus: *Per prophetiam quidem scientiam, auditor sermonum Dei est, & visionem omnipotentis intuitus est, sed per auaritam cor cæcum habet.* Balaam habebat propheticam scientiam, quæ docebat bonum amplecti, & à malo declinare, ipsa ergo prophetica scientia, quæ ad Dei obsequium destinanda erat,

Num. 24.

Rupertus. Obturatus est oculus eius visus sit in malum.

illi auaritiæ, ac ambitionis extitit occasio. Scientia ergo, quæ ad viam salutis indicandam data fuerat, hominis tamen malitia in ansam ab illa diuertendi versa est, non scientia, sed vt cæcitas, ac ignorantia dicatur, & habeatur. *Cuius obturatus est oculus.*

QVÆSTIO IV.

Quare de magno mandato quærit Magister iste?

ACCESIT Doctor magnum religionis, pietatis, ac zeli & legis præ se ferens specimen, Dominum Magistrum vocat, de æstimatione diuinorum præceptorum quærit, & tamen à D. Matthæo dicitur, quod venerit tentans; nam tantæ religionis, ac zeli prætextu, acrius volebat insidiare, & retia tendere. D. Hieronymus: *Non de mandatis interrogat, sed quod sit primum, magnumq; mandatum, vt cum omnia, quæ Deus mandauerit, magna sint; quidquid ille responderit occasionem habeant calumniamandi.*

Mandatum magnum, seu maximum in lege, est illud, quod Deus præ cæteris omnium maximè requirit, cuius obseruatio ipsi est omnium gratissima. Magna controuersia erat eo tempore, quodnam esset hoc mandatum; vt ex Beda dixi in expositione, ibi dicta videnda. Lex autem hoc non explicauit, vt omnia Dei præcepta Iudæi iudicet, & imperfecti seruarent, & nulla negligerent; nam etiam minimum mandatum, cum à Deo sit traditum, diligenter custodiendum est, & minimè contemnendum.

D. Chrysofomus in Imperfecto homil. 42. *De magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruauit. Ille enim debet interrogare de maiori iustitia, qui iam minorem compleuit.* Mandatum maximum spectabat, qui necdum in paruis se exercebat; sunt enim homines, qui alta cacumina, ac fastigia virtutis prospiciunt, & prima illius rudimenta, vt dura, & arida fastidiunt, cum quis in his prius se debeat exercitari, vt ad superiora valeat euolare.

Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos. Deuter. 32. num. 11. sic nos Deus prouocat ad volandum in terram promissionis, ac cælestem patriam. Aquila prouocat pullos suos ne subito ad sublimia ferantur, sed vt per dimissos volatus quotidie exerceantur, vt tandem altius valeant ascendere; instar aquilaram Christus ex paruis exercitijs ad maiora virtutum documenta nos prouocat. Guarricus Abbas serm. in Ascens. *Quid putamus fratres, ait, quomodo tunc repente de terris ad celos euolare poterimus, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicimus? Nunquid Christus, sicut aquila prouocat ad volandum filios, quando super eos volitat?*

Dicebat David Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ: pennas, & volatus desiderat, nunc vt perpetes aquilæ? Minime, sed vt columbæ, quæ inter cæteras volucres valde humiliter, ac depresso volat, & non in altis arborum cacuminibus habitat, sed in petrarum cauernis receptacula constituit.* D. Aëredus lib. 1. speculi cap. 5. *Plumescat interim Domine Iesu, plumescat, quæso, anima mea in nido discipline tue, pascat in foraminibus petre, & in caerna maceria.* Vide supra cap. 8. num. 84. & cap. 22. num. 23. & cap. 25. n. 36. & 37.

Matth.

19.

Hieron.

20.

Omnia Dei præcepta cum studenda.

21.

Chrysof.

Paulatim ad cacumina virtutis ascendit homo.

22.

Deut. 32. Instar pulle aquilarum sumus prouocandi.

Guarricus.

23.

Psalm. 54.

D. Aëred.